

Epicedium.

O Fatum, ô fatum, quid me, lethale fatigas?
Ab cur tristitia pondera tanta paris?
Vt cari videam tristissima funera fratris,
Heu fratris, verè qui fuit alter ego.
Cujus morte mihi nunc quantum vulnus adactum?
Quo sine nil latum, quo sine dulce nihil.
Apta quis ecce dabit tanto modò verba dolori?
Vt tua mi frater funera mæsta fleam.
Cur mihi non oculi, fiunt duo flumina, tristes
Quæ gemitus, terra lata per arva trahant?
Ast nihil ista juvant, quid enim non improba tentat
Quæ didicit nullis parcere Parca viris?
Nunc verò cunctis tandem defuncte periculis
Perpetua in cælis, otia letus agis.
Hinc opto potius vitæ cælestis honorem,
Dulcia namq; pia gaudia mente foves,
Et quia tu soli didicisti fidere Christo,
In Christo vitam non moriturus habes.
E tumulo vivus ruptâ tellure resurges,
Atq; coruscabis clarus honore poli.
Et quæ non oculus vidit, percepit & auris,
Auribus accipies, gaudia mille tuis.
Ergò vale, extremum cape & hunc pietatis honorem
O frater dulcis, non rediture, Vale.

Joannes Hartmann, defuncti frater
ex affectu fraterno mœrens po-
suit, Hilperhusij.

G

In